

H. 118, 20, 21.

(x2018982)

II.



M. ISRAELIS CLAUDERI,
HISTOR. AC ELOQV. P. P.

DE

RITU VETERUM

NATALITIO

DISSERTATIO PRIMA,

IN ILLUSTRATI ATHENAEO

COBURGENSI,

CUM ILLUD

NATALEM

TERTIUM SUPRA QVINQVAGESIMUM


SOLEMNITER CELEBRARET,

RECITATA

AD D. III. M. QVINCTILIS

A. O. R. clc lō c LVII.

PECTORI ANTIQVARUM VIRTUTUM
FERTILISSIMO,
VIRO
MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
CONSULTISSIMO,
DN. JOHANNI GEORGIO
STYRZELIO,
PATRITIO AUGUSTANO,
LIBERAE AC IMPERIALIS REIPUBL.
ROTENBURGO-TUBARINAE
CONSULI GRAVISSIMO,
JCTO ATQVE POLYHISTORI
PRAECELLENTI,
MAECENATI ERUDITORUM CERTISSIMO,
AMOENITATUM ISTARUM
UT SITIENISSIMO ITA SCIENTISSIMO,
PATRONO PLURIMUM AESTIMATO,
HAEC PHILOGOGIAE LIBAMENTA
PONO, ET TANQVAM
TUTELARI NUMINI
LAETUS-LUBENS
CONSEURO
M. ISRAEL CLAUDERUS, P. P.



Quod benè sit!

DEO UNITRINO,

Scholarum Adfessore ac Vindice Optimò Maximò,
clementer annuente,

auspiciisqve

SERENISSIMI ATQVE CELSISSIMI

PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

FRIDERICI GVILIELMI,

DUCIS SAXONIAE, JULIACI, CLIVIAE,

ET MONTANIAE, COMITIS PROVINCIALIS

THURINGIAE, COMITIS LIMITANEI MISNIAE,

COMITIS MARCAE ET RAVENSBURGI, RAVENSTEINI

DYNASTAE,

HEROIS PRAEGLORIOSISSIMI,

DOMINI AC NUTRITORIS NOSTRI

BENIGNISSIMI,

ENCAENIA GYMNASTICA,

ATHENIS ISSIACIS

stata, festa, solemnia,

ad tertium Mensis Qvinctilis diem

caelò volentissimò revoluta,

More institutòqve Majorum,

M. ISRAEL CLAUDERUS,

HISTOR. AC ELOQV. P.P.

piè celebrabit.

A 2

AD

AD QVAE SACRA APOLLINEA,

in Majore Collegi Acroaterio

post horam nonam promeridianam die crastini institucnda;
ut rectè ista fiant atqve ordine:

debitæ Divino Numini gratiæ persolvantur, nec non pro inclutæ
Domûs Saxo - Altenburgicæ, Gymnasiqve hujus famigeratissimi
jugi incolumitate devota concipiantur vota:

AMPLISS. DNN. SCHOLARCHARUM SENATUM,
ET QVOSVIS QVARUMCUNQVE ARTIUM AC SCIENTIARUM
IN PALLADIA HAG FRANCONIAE DOMO
CULTORES AC ADMIRATORES ALIOS:

VIVOS
MAGNIFICUM, MAXIME REVERENDUM, NOBILISSIMOS,
CONSULTISSIMOS, EXCELLENTISSIMOS, EXPERIENTISSIMOS,
CLARISSIMOS, PERREVERENDOS, DOCTISSIMOS,
PRAESTANTISSIMOS, SPECTATISSIMOS,
HUMANISSIMOS:

MAEGENATES, PATRONOS, FAUTORES, COLLEGAS, AMICOS,
pro cujuslibet dignationis conditione,
submisè, officiblè, ac peramanter
vocat, invitat, advocat,

universis atqve singulis gratam præstiti officii memoriam
cumulatè promittens;

Civium verò quæ Publicorum quæ Pædagogicorum,
quotquot heic in literis vivunt,
cœterum florentissimum

consuetæ Legum Gymnaslicarum recitationi interesse maximo censet opere
idem de RITU NATALITIO oraturus Panegyrista.

P. P. Coburgi, Feriâ quintâ Dominicæ quintæ à Fcsto
Trinitatis, Anno Epochæ Christianæ clō lō c LVII.
Aeræ Gymnasticæ LII.



Q. D. B. V.

Magnâ olim religione Græci Romaniqve Natalis
diem illum, quô in lucem essent editi, velut
festum atqve solennem, inter familiares quis-
que & inter amicos singuli suos, coluerunt, ut
omnia ea dicerent facerentqve, quæ boni fausti-
que ominis esse viderentur. Quæ quidem res sicuti justam rationem in
privatis quibusque habuit, in quibus recurrentes vitæ annos
gratè numerare quoddam pietatis munus erat: ita profectò
in natalibus Rerum publicarum aut civitatum, aliarumve urbium:
ingentium corporum, longè major hujus observationis
causa fuit, quia majus trahunt momentum hæc, quæ publica
sunt, & ad universitatem quandam plurimorum simul ho-
minum pertinent. *Nasci* autem dicuntur *urbes*, dum con-
duntur, ceu declarat Petr. Faber, (Lib. I. Semestr. cap. IX.)
Jam, si nascuntur, suos quoque habebunt natales. Proditum Romæ,
memoriæ est à Marcô Tullio, (Lib. II. de Divin.) Lucium
quendam Tarutium, rationibus Chaldaicis adprimè crudi-
tum, urbis Romæ natalem diem ab iis reperisse Palilibus,
quibus eam à Romulo conditam accepimus, Romamqve,
cùm esset in jugo Luna, natam esse dixisse. Ubi *jugum* pro
Librâ accipiendum esse, ex Solino, & Græcis præterea, qui
Scorpii priorem partem *ζυγόν* dicunt, id est, jugum, Ludov.
Coel. Rhodiginus, (Lib. XX. Lect. Antiqu. cap. VII. p. 767.)
monet. Ex quo factum est, ut dies XI. Cal. Maji, qui in id ipsum
tempus incidit, summâ Romanorum gratulatione celebratus
sit, teste, præter vatem Sulmonensem, (Lib. IV. Fastor. v. 804.)
A 3 Pro-

CPolis,

Brundusii;
templo-
rum:
Salutis,

Mercuri.

Propertium, (Lib. IV. Eleg. IV. v. 74.) ac Plinium, (Lib. XVIII. cap. XXVI.) Sexto Pompejo Festo, (ap. Aut. L. L. p. 356.) Mos enim erat, eo die ovilia purgare, transilire flammam, sapam & milio sacrum facere, geniales dies agere, coenas adparare, a litibus abstinere: quae prosperos successus decernebant, ut docet Alexander ab Alexandro, (Lib. II. Dier. Genial. cap. XXII.) Quem ad modum diem V. Eid. Majas, quod Constantinopolis condita, ac a Constantino Magno dedicata, omnibus civibus magno fuisse in honore, ex historiarum monumentis constat. Quare Imp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius, (Lib. III. Cod. tit. XII. l. 7. omnes dies.) *dies natalitios urbium harum maximarum, Romae atque Constantinopolis, festos sacrosque esse iusserunt, in quibus debeant jura differri, quia & ab ipsis nata sint, & contra quotannis publica conciperentur vota in annum proximum aut plures sequentes.* Similiter Cicero (Lib. IV. ad Attic. Epist. I.) *natalem Brundusinae colonia, quod Brundisium colonia deducta, & natalem Salutis, quod templum Salutis in colle Quirinali Salutis Deae dedicatum, summam Brundusiorum gratulatione celebratum* narrat. Templis enim suis quoque constabat natalis, ex dedicatione nimirum, ut illius diceretur, cui templum erat dedicatum. *Eidibus etiam Majis mercatorum diem fuisse festum, quod eo die Mercuri aedes esset dedicata, idem (ibid. p. 308.) auctor est Festus.* Et illud Martialis, (Lib. XII. Epigr. LXVII. v. 1.) *Maje Mercurium creastis Idus, non hunc habere sensum, quasi Eidibus illis natus Mercurius; sed de eo potius die intelligendum esse, quod templum ei fuerat consecratum, cum Hadr. Turnebo, (Lib. II. Advers. cap. XI. p. 46.) non abs re opinamur.*

Juxta mecum Vos sentire, Auditores omnium Ordinum Eminentissimi, Honoratissimi, atque ita judicare arbitror, Gymnasium nostrum non urbis duntaxat hujus; sed totius

Fraus

Franconia rarum ac præclarum esse cimelium, in quo à multis retrò annis sedes pietatis, literarum domicilium, & Musarum atque Gratiarum viguit sacrarium. Quocirca, qui ejusdem laudi ac decori favebit, nã ille rem faciet, quæ & religiosò veterum ritu comprobata sit, & album mereatur calculum apud eos, qui doctrinæ literarumque majestatem ex merito æstimant. Hoc verò ipsum quando magis, quàm ad præsentem V. Nonar. Quinætilis diem faciendum est? Quò, annis abhinc duobus & quinquaginta, Illustrissimi & Celsissimi Principis ac Domini, Domini JOHANNIS CASIMIRI, Ducis Saxoniae, Juliaci, Cliviae, & Montaniae: Comitum Provincialis Thuringiae, Comitum Limitanei Misniae: Comitum Marcae & Ravensburgi, Ravenstein Dynastæ, gloriosæ Herois memoriæ, auspiciis natum quasi primùm & dedicatum illud accepimus. Cæterùm, More Majorum, anniversaria hæc festivitas Oratione Panegyricâ venit cohonestanda, quam Vobis, ut confido, non injucundam habebò *de ritu veterum natalitio*. Id dum facio, Vos universos atque singulos, quotquot in decus nostri Collegii solennem hunc locum congressu implevistis frequentissimò, pro eâ, quam in vestris inclusam, pectoribus domò huc attulistis, benevolentiam, attentam mihi, ad clepsydram dicturo, audientiam etiam atque etiam rogo ac quæso.

Antè verò quàm solennitates Natalem celebrantium percensere adgrediamur, rectè atque ordine facere videbimur, si potissimas diei natalis adpellationes, quas in primi subsellii scriptoribus hætenùs observare nobis licuit, heic recensuerimus. Virgilius, (Ecl. III. v. 76.) Ovidius, (Lib. V. Trist. Eleg. VI. v. 7.) Tibullus, (Lib. I. Eleg. VII. v. 32.) Suetonius, (Aug. cap. LVII. Tib. cap. XXVI.) *natalem* dicit, absque additò; Cicero contra, (Orat. pro Flacco, Lib. IV. ad Attic. Epist. I.) Plautus, (Pseud. act. III. sc. I. v. 9. act. IV. sc.

Varia diei natalis adpellationes

Latinorum,



sc. VII. v. 139.) Terentius, (Phorm. act. I. sc. I. v. 14.) Cornelius Nepos, (Timol. cap. V.) Tacitus, (Lib. II. Histor. cap. XIV. Lib. VI. Annal. cap. XLIX.) & Lampridius, (Alex. Sev.) *natalem diem*; Ovidius verò, (Lib. III. Trist. Eleg. XIII. v. 9.) *tempus genitale*, & (in Ibin v. 110.) *lucem natalem*; Symmachus, (Lib. VI. Epist. LXXXI.) *diem solennem*; Arnobius, (Lib. VII. adv. gent.) *diem natalitium*; Hieronymus Græcorum, denique, (Comm. in cap. VI. Marci) *diem natalis*. Latinis non infeliciores Græci, nunc *γέννημα* vocant, ut Homerus, (Iliad. β. v. 87.) nunc *ἡμέραν* simpliciter, ut Herodotus, (Lib. IV.) nunc *ἡμέραν γενεθλιακῶν*, ut Coïntus Smyrnæus, (Lib. I. v. 245.) nunc *γενεθλίδιον*, ut Isocrates, (Orat. ad Demon.) nunc *γενέσεως ἡμέραν*, ut sacer codex, (Genes. XL, 20.) *γενέθλιον ἡμέραν*, (II. Maccab. VI, 7.) & *γενέσια*, (Matth. XV, 6. Marc. VI, 21.) nunc *γενέθλια*, ut Gregorius Nazianzenus, (Orat. in Pascha,) nunc *γενεθλιαὶ*, ut Nonnus, (Paraphr. in Joh. IX, 7.) nunc *γατάλια*, (apud Joh. Meursium, Ebræorum. Glosar. p. 364.) Quibus utrisque significantius loqui amant Ebræi, (Genes. XL, 20.) *הַיּוֹם הַזֶּה* quod ad verbum *dies nasci vel nativitat*s cum Cl. Buxtorfio interpreteris. Ast, satis de his, & fortè plus quàm satis.

Natalis calicis,

ibid. v. 139
de silvan
p. 110. 111. 112.

omiss.
am

&c

Sermo autem nobis non est de *natali calicis*, quomodo cœna dominica primitivæ audiebat Ecclesiæ. Ita enim Eligius, Novionii in Belgio Episcopus, (homil. X.) : *vocatur, inquit, hæc dies cœna DOMINI, vocatur & natalis calicis, & meritò talibus præfulget vocabulis, quia hæc eadem die mysticum pascha DOMINUS cum discipulis celebrans sacramenta corporis & sanguinis sui illis atque per illos nobis tradidit, & ipse celebrationis initium fecit.* Quibus collactea scribit Paschasius Ratbertus, Abbas Corbejensis, (Lib. de Corp. & Sangv. Dom. cap. VIII.) : *hoc iudicium in natali calicis mox excipitur, ut doceatur, quid contemptoribus immineat, si, damnati à conscientia,*
pedem

pedem de mensâ DOMINI non retraxerint. Neque de emor- sanctorum
tuali sanctorum virorum die, quippe qui etiam natalis vocari
meruit, uti docet Radulfus, Flaviacensis Monachus, (Lib. IV.
in Levit. cap. I.) his quidem verbis : cum putantur consumti
justi, oriuntur ut luciferi. Inde est, quod sanctorum obitûs na-
talitia vocari Ecclesiasticus usus obtinuit ; quia, quod sunt infanti
angustiae materni uteri ad hujus aëris libertatem, hoc est justis
hujus conversationis ærumna ad futura gloriae amplitudinem.
 Quod etiam ex conceptis precum formulis, tùm recitari so-
 litis, colligere est ; qualis imprimis apud B. Basilium, (Com-
 ment. in Psalm. CXIV.) ista : *concede DOMINE, ut, quorum*
gaudemus virtutibus, eorum accendamus exemplis : Et, quorum
natalia colimus, etiam actiones imitemur, atque de eorum, in ater-
nâ beatitudine, societate gaudeamus !

Sed, de illo die in præsens agemus, quò quis in lucem
 fuit susceptus, & vitali hòc spiritu exauctus, quem quotannis
 ex omnibus diebus præcipuè colere, Persarum legibus fuisse
 sancitum, Herodotus, (Lib. I.) refert. Benè ! Quid enim,
 quæso, rationi magis videatur consentaneum, quàm diem
 illum, quò quis ex tetro isto caliginosoque uteri materni
 carcere in jucundam hanc lætamque lucis usuram erupit,
 & mater tot tantisque gestationibus ac parturitionis dolo-
 ribus & tormentis liberata est, piò atque lætabundò animò
 transigere ? *Difficiles sanè illas esse puerperiorum tricâs, ut Ar-*
nobianò, (Lib. III. adv. gent.) loquar ore, negare ausum
vel unus confundet locò jam laudatò laudatus Arnobius :
fæminarum, inquam, generis propria sunt, circumactis persol-
vere suas mensibus leges, fastidiosos ducere atque habere conceptûs,
abortire, perferre, Et præproperò partu septimanas aliquando ede-
re fœturas. Videre est alias gravidas, fœtas, gliscentibusque per
dies alviis, intestini ponderis morositate cunctari : parturire alias
tractu longò, Et manûs obstetricias quarere. Ubi Patri doctissimo

Natalis ce-
 lebrandus,
 cur?

intestini ponderis nomine venit embryo, qui Lucretio, (Lib. IV. v. 1243.) Ovidio, (Heroid. Epist. XI. v. 37. Lib. III. Fast. v. 42.) Statio, (Lib. I. Achilleid. v. 671.) simpliciter pondus; Propertio, (Lib. IV. Eleg. I. v. 100.) uteri pondera; Ovidio, (Heroid. Epist. VI. v. 120. XI. v. 38. 42.) onus; &, (Lib. X. Metam. v. 481.) onus uteri; Senecæ, (Thebaid. act. IV. sc. I. v. 93.) graves uteri labores; Apulejo, (Lib. X. Metam.) sarcina pragnationis; Tertulliano, (Lib. I. ad uxor. cap. V.) uteri sarcina vocatur. Sola Thracum natio præ ceteris gentibus aliquam sibi sapientiæ laudem vindicare voluit, dum, teste Herodotô, (Lib. V. cap. IV.) Solinô, (Polyhist. cap. XV.) Melâ, (Lib. II. cap. II.) Valeriôqve Maximô, (Lib. II. cap. VI. n. 12.) circa natales suorum dies hoc egit, ut, editô in lucem puerô, propinqui eundem circumfidentes cum ploratione prosequerentur, ea ob mala, quæ necesse sit illi, quòd vitam ingressus, perpeti, humanas omnes calamitates recensentes.

Thraces
natalem
deplora-
bant:

aliæ gentes
religiosè
coherunt,
candidum
sibi eundè
venire pre-
cati.

Verùm enim verò, tanta semper apud alias gentes omnes diei natalis fuit celebritas, ut in eo felicitatem quandam veteres inesse putaverint. Hinc adpetens hicce dies, ut faustus veniret, rogitabant. Ovidius, (Lib. V. Trist. Eleg. V. v. 13.) *optime natalis, quamvis procul absumus, opto, candidus huc venias.* Usurpabant nimirum candidus pro bono, fausto, fortunatoqve, quod præter alios observavit nitidissimus Dempsterus, (Paralipom. ad Rosini Antiq. Rom. Lib. IV. cap. IX. p. 386.) idq; more gentis Thraciæ, quæ calculorum colore dies felices ab infelicibus distingvere solebat, teste Pliniô, (Lib. VII. Nat. Hist. cap. XL.) Alius ritus mentio fit apud dictum vatem Pelignum, (Lib. XV. Metam. v. 41.) ita canentem: *Mos erat antiquis, niveis atrisq; lapillis His damnare reos, illis absolvere culpâ.* Postquam hic nunc illuxisset, præterquam, quòd illis esset *Lucina*, quæ à par-
turi-

Gentilium
superstitio.

turientibus invocaretur, opem ferret nascentibus, excipiens eos sinu terræ, inde dicta *Opis*: *Vagitanus*, qui in vagitu os aperiret: *Levana*, quæ sobolem de terrâ levaret: *Cunina*, quæ cunas tueretur: *Rumina*, quæ rumen sive mammam parvulo immulgeret: *Potina*, quæ potionem ministraret: *Edufa* vel *Edulica*, quæ escam præberet: *Cuba*, quæ molliter cubare permetteret, & quæ alia talium Numinum nomina sunt ipsò panè tremenda sonò, quæ ex Augustinò, (Lib. IV. de Civit. DEI cap. XI.) Noribergæ suæ ocellus, Amplisf. Dn. Dillherus, (Tomò I. Dispp. Acad. p. 429.) producit; *Γενεθλις* quæ quæ Dii natalitii; quæ *γενεθλις*, quæ Platonem, (Lib. V. de Republ.) voce usum esse annotat Dionys. Lambinus, (ad Horati carm. secul. p. 253.) religiosissimè coluerunt, certisqve ceremoniis atqve sacrificiis celebrârunt. Audiamus vel unum Xuthum Euripidèum, (Ione v. 1147.) ita filio mandantem: *Γύσας δὲ γενέταις θεοῖσιν ἐὺ μακρὸν χρόνον Μενῶ, παρῆσι δαῖτες ἔσωσαν φίλοις, sacrificans verò genitoribus Diis si moram longam fecero, presentibus convivia fiant amicis.* Inprimis credebantur natali præ-Jupiter; esse Jupiter, Juno, Genius. Hinc Jupiter passim apud Græcos salutatur *γενεθλις*, quòd ipsi cura gignendorum liberorum incubat. Junonem, Vestæ ac Cereris sororem, præprimis Juno; invocabant mulieres, quæ hinc *Natalis* Tibullò, (Lib. IV. Eleg. VI. v. 1.) *Genitalis* Horatio, (Carm. secul. v. 16.) & *Natio* Ciceroni, (Lib. III. de nat. Deor.) à nascentibus nominata, quia partus matronarum tueatur. Genius; *Genius*; (Bacchid. prol. v. 25.) *natura Deus*, ubi *Genialis Deus*, Silenus, ita de seipso: *natura Deus sum, Bromii altor maximi.* Quod Hadr. Turnebus, (Advers. Lib II. cap. XV. p. 50.) sic dilucidat: *natura Deus est, non, qui universa natura præest; sed, qui naturam cujusque hominis curat, & quidam hominis Genius est.* Horatio item, (Lib. II. Epist. II. v. 188.) *natura Deus humane*, nec - non Tibullo, (Lib. IV. Eleg. V. v. 19.)

à genendo
dictus, &
vel curare,
ut homines
gignerentur,

vel cum i-
pſis homi-
nibus gi-
gai,

Deus natalis salutatus, nomen obrinuisse videtur ab officio: curare quippe nonnullis fuit creditus, ut homines gignerentur. Censorinus, ex asciatâ de Die Natali commentatione, (cap. III.) *Genius est Deus, cuius in tutelâ quisque, ut natus est, vivit. Hic, sive quòd ut genamur curat, sive quòd unâ genitur nobiscum, sive etiam, quòd nos genitos suscipit ac tuetur, certè à genendo Genius adpellatur.* Atque, Censorinò longè antiquior, Festus, (p. 292.) *Genium adpellabant Deum, qui vim obtineret omnium rerum gerendarum.* Pro quo rectius cum Dion. Lambino, (comment. ad Horat. Epist. p. 259.) ac Thomâ Dempsterò, (Paralip. ad Rosini Antiq. Rom. Lib. II. cap. XIV. p. 208.) legitur: *genendarum.* Sequitur enim mox apud eundem Festum: *Genius est Deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur, & propterea Genius meus adpellatur, quia me genuit.* Præterea, geno pro gigno veteres extulisse, dubitare nos non sinit ab his etiam literis magnus ille Juris Sacerdos, Dionysius Gothofredus, qui (not. ad ista Ulpiani verba, Lib. XXX. Digest. tit. I. l. 17. *qui filiabus §. 1. si qua filia mihi genitur,*) Varronis, Lucretii, & Prisciani auctoritate hoc communit. Inter hos, qui gigni cum hominibus ipsum opinabantur, deprehendimus Appulejum, (Lib. de Deo Socratis,) scribentem: *Bona Cupido animi Deus est, quem nostrâ linguâ, ut ego interpretor, haud scio an bonò, certè quidem meò, periculò, poteris Genium vocare; quoniam is Deus, qui est animus sui cuiusque, quànquam sit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur.* Cujus mentem Nobiliss. Barthius, (Advers. Lib. LII. cap. XII. p. 2451.) sic explicat: *Bona animi Cupido nihil aliud est, quàm spiritus ille, qui suavitate rerum delinitur & capitur, & delectatur usu jucunda vita.* Mox: *non est pars hominis, alioquin vel anima vel corpus dicendus, quibus hominem constare nemo unquam negare potuit. At, neutrum est horum; sed sua vis quædam concupiscentia rerum delectabilium & dele-*

delectantium, procul omni etiam suspicione malitia: quapropter etiam optimo jure Bona Cupido adpellatur. Immortalis vero etiam ab Appulejo merito censita, quia talis adfectio animae, ea Cupido est, ut anima eam sine esse non possit. Atque ut immortalitas cum animam hujus Cupidinis constat: sic origo tamen ejusdem simul non potest negari. Hinc fuerunt, qui non gigni eum cum homine; sed postea adoptari adfererent; in quibus numerandus Plinius, (Nat. Hist. Lib. II. cap. VII.) major, inquit, caelitem populus quam hominum intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciant, Junones Geniosque adoptando sibi; quoniam scilicet nemo non peculiari se duci Genio opinabatur. Priori vero sententiae, Genium nimirum hominibus quasi adnasci, & cum iisdem in vitam procedere, favet quoque Horatius, (Lib. II. Epist. II. v. 187.) Genius, natale comes qui temperat astrum, i. e. qui tecum, ejusdem astri influxu natus, tuam suam participat fortunam, suisque tua temperat fata; nec non Persius, (Sat. VI. v. 18.) geminos, horoscope, varo producis Genio, h. e. duo gemini, eodem in lucem procedentes tempore, duobus iisque diversis nec aequè felicibus instructi sunt Geniis. Nam, ut Genium quisque habuisset, cum nasceretur, ita etiam post deinceps vivebat. Inde venustum quempiam ac fortunatum designaturi, eum Genio egregio natum ajebant. Terentius, (Heaur. act. III. sc. I. v. II.) ego profecto Genio egregio ad miseriam natus sum; quem admodum vice versa de homine invenustum ac miserum, cui nihil bene succederet, Genio malevolo ac sinistro natum illum esse, clamabant. Plautus, (Bacchid. act. IV. sc. III. v. 3.) impos animi, inamabilis, illepidus vivo, malevolente Genio natus. Persius, (Sat. IV. v. 27.) Hunc ais? hunc Diis iratis Genioque sinistro natum, ac infelicibus utentem fatis. Similiter Genium habere valebat, gratiam, lepore, felicitateque esse praeditum, ut in illo Juvenalis, (Sat. VI. v. 563.) nemo Mathematicus

vel ab iisdem adoptari creditus.

Natus Genio egregio,

malevolens ac sinistro,

Genium habere,



non ha-
bere,

placare,

defrau-
dare,

Genium indemnatus habebit. Quò forsan istud Martialis, (Lib. VI. Epigr. LX. v. 10.) *videtur Genium debet habere liber, retuleris. Genium contra non habere dicebantur obtusò homines cerebrò, stupidi, inepti, insulsi.* Idem olor Bilbilitanus, (Lib. VII. Epigr. LXXVIII. v. 4.) *habes nec cor, Papile, nec Genium.* Hinc Flavius Sospater Charisius, (Lib. I.) *Genium & Fortunam cujusque hominis pro iisdem habitos autumat.* Latari hoc genus cum hominibus existimabant, inprimis, ubi cum svavitatem animi tristitiam illi merò diluerent. Unde, quoties lautius ac hilarius sese excipiebant, *Genium sese placare* arbitrabantur. Horatius, (Lib. de arte poët. v. 208.) *postquam cepit agros extendere victor, & urbem latior amplecti murus, vinòq; diurnò placari Genius festis impunè diebus.* Ex quâ hæresi sequentes loqvendi manârunt formulæ: apud eundem Horatium, (Lib. III. Od. XVII. v. 14.) *curare Genium merò;* apud Persium, (Sat. V. v. 145.) & Symmachum, (Lib. II. Epist. XLVII.) *indulgere Genio;* apud Plautum, (Stich. act. IV. sc. II. v. 42.) *Genium bonum meliorem facere,* (Capt. act. II. sc. II. v. 40.) *Genio sacrificare,* (Pers. act. II. sc. III. v. 11.) *Genio bona facere,* (act. I. sc. III. v. 28.) *ad Genium sapere:* quæ omnes valent, vinò atque epulis, aliisque cum corporis voluptati tum animi oblectationi facientibus rebus se exhilarare. Qui autem parcè nimis ac duriter victitabant, ii *Genium*, recensitis tantum rebus hilarem, voluptate suâ circumscribere, & quasi *defraudare*, Lucilii, (Lib. XXVI. citante Noniò Marcellò, cap. II. n. 376.) ac Terentii verbò, (Phorm. act. I. sc. I. v. 10.) nec non phrasi Plautinâ, (Trucul. act. I. sc. II. v. 80.) *cum Genio suis belligerare* præsumebantur. Contristari quippe, ut dictum, ejusmodi renacitate putabant *Genium*, quem, *brevis ac fugitivi ævi memorem*, ita nuncupatum à vate Venusino, (Lib. II. Epist. I. v. 145.) homines, ut tristitiæ se subducerent, clanculum instigare persuasi erant.

Binos

Binos verò Genios unicuique hominum assignabat Genii duo
eorumque
 In vitium credula ethnicorum turba : alterum bonum, ma-
 lum alterum ; non secus atque nos, è sacris edocti literis,
 novimus, quemlibet bonum suum Angelum custodem, &
 malum habere insidiatorem. Hac nimirum fini mortalibus officiuntur
 isti perhibebantur additi, ut in vitâ degentium actûs nota-
 rent, eosdemque apud inferos iudicibus examinandos de-
 ferrent. Docet id, præter alios, luculentus scriptor, Cen-
 sorinus, (de D. N. cap. III.) *Genius ita nobis assiduus obser-
 vator adpositus est, ut ne puncto quidem temporis longius absce-
 dat ; sed ab utero matris exceptos ad extremum vite diem*
comitetur. Consentit honoratus ille Grammaticus, Servius
 Honoratus Maurus, (ad Virgil. Lib. VI. Aen. v. 743.) *Cum
 nascimur, duos Genios sortimur. Unus est, qui hortatur ad bona ;
 alter, qui depravat ad mala. Nec incongruè dicuntur Genii,
 quia, cum unusquisque genitus fuerit, ei statim observatores de-
 putantur, quibus assistentibus, post mortem, aut adserimur in
 meliorem vitam, aut condemnatur in deteriore, per quos aut
 vacationem meremur aut reditum in corpora. Ergo Virgilius
 manes Genios dixit, quos cum vitâ sortimur. Gemella his scri-
 bit Appulejus, (Lib. de Deo Socr.) Platonem autumâsse ad-
 serens, singulis hominibus in vitâ agendâ testes & custodes singu-
 los additos, qui, nemini conspicui, semper adsint, arbitri omnium
 non modò actorum ; verum etiam cogitatorum. Ad, ubi vitâ
 editâ remeandum est, eundem illum, qui nobis præbitus fuit, ra-
 ptare & trahere veluti custodiam suam ad iudicium, atque illic
 in causâ dicendâ assistere : si qua commentatur, redarguere : si
 qua vera dicat, adseverare : prorsus illius testimoniò ferri senten-
 tiam. Proinde animos nostros ad quæcunque vel agenda vel me-
 ditanda ita formandos esse monet, ut sciamus, nihil omninò præ
 istis custodibus nec intra animum nec foris esse secreti ; quin omnia
 curiosè Genius ille participet, omnia visat, omnia intelligat, ac*

John M

in



in ipsis penitissimis mentibus vice conscientiae diversetur. Hinc
 idem eadem audit custos, singularis praefectus, domesticus specu-
 lator, proprius curator, intimus cognitor, assiduus observator, in-
 dividuus arbiter, inseparabilis testis, malorum improbator, bono-
 rum probator, & si ritè animadvertatur, sedulò cognoscatur, re-
 ligiosè colatur, in rebus incertis prospector, dubiis prae-
 monitor, periculosis tutator, egenis opitulatur: qui tibi queat tum somniis,
 tum signis, tum etiam fortasse coràm, cum usus postulat, mala
 averruncare, bona prosperare, humilia sublimare, nutantia ful-
 cire, obscura clarare, secunda regere, adversa corrigere. Haec-
 exemplum, nùs Philosophus Madaurensis. Quamvis autem oppidò pau-
 ci hominibus videndos sese exhibuerint, ceu fatetur nobilis
 atque militaris historicus, Ammianus Marcellinus, (Lib.
 XXI.) ferunt, inquit, Theologi, in lucem editis hominibus
 cunctis, salvà firmitate fatali, huiusmodi velut actus rectora nu-
 mina sociari, admodum tamen paucissimis visa, quos multiplices
 auxiliare virtutes; memorantur tamen aliqui. Et mali qui-
 dem absurdam horribilemque praese ferebant formam,
 qualis M. Bruto adparuit, eidemque infelicem praedixit exi-
 tum, narrante, (in eius vitâ,) Plutarchò, quem Luculentum
 scriptorem auscultare fas erit: Is, cum quiddam secum ratio-
 cinaretur, visus est sibi ingredientem quendam ad se perspexisse.
 Quare, oculis ad ingressum conversis, monstruosam quandam &
 horrendam formam adspexit, quae silentiò sibi postea adstitit. Hanc
 interrogare ausus est Brutus, & : quis, inquit, hominum es aut
 Deorum? aut quid tibi vis? cur ad nos venisti? Ad quae submur-
 murans illa forma: tuus sum, ait, ô Brute! malus Genius: me
 videbis postea Philippis. Tum Brutus, minimè exterritus: vi-
 debo, respondit. Cum verò is evanisset, pueros ad se intrò vo-
 cavit Brutus, qui nullam neque vocem se audivisse, neque quid-
 quam vidisse responderunt. Cujus eadem fortassis forma fuit,
 quâ, ex Pausaniâ, (Lib. VI.) Natalis de Comitibus, (Lib. IV.
 Mythol.

Mythol. cap. III. p. 292.) quendam hujus furfuris ac seminii describit alium, qui colore fuit vehementer atrò, cateram speciem valdè formidabilis, & lupinâ pelle amictus. Boni verò amabili adparebant specie, puerili plerumque aut humanâ majore formâ. Talis C. Julio Cæsari sese obtulit, eximia magnitudine & formâ, viam eidem, Rubiconem trajicienti, ostendens ad id, in quo summam is statuerat beatitatis, si Svetonio, scriptori candidissimo, (Juliô cap. XXXII.) fidem non derogamus.

Nec verò singulis duntaxat hominibus adsignati leguntur Genii; sed suum sibi peculiarem etiam habebant Principes, Reges, Cæsares. Minutius Felix, (Octaviô,) : *est eis tutius, per Genium Jovis pejerare quam Regis.* Tertullianus, (Apologet. cap. XXIX.) : *citiùs apud vos per omnes Deos, quam per unum Genium Cæsaris pejeratur.* Et iterùm, (ibid. cap. XXXI.) : *juramus sicut non per Genios Cæsarium: ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus Geniis.* Appulejus, (Lib. IX. Metamorph.) : *commilitones, ibi, nec uspiam alibi delitescere, adjurantes Genium Principis, contendebant.* Ulpianus, (Digest. Lib. XII. Tit. II. l. 13. §. 6.) : *si quis juraverit in re pecuniariâ per Genium Principis, & pejeraverit, Imperator noster rescripsit, fustibus eum castigandum dimittere.* Svetonius, (Caligulâ cap. XXVII.) : *multos honesti ordinis ad metalla & munitiones viarum aut ad bestias condemnavit: nec omnes gravibus ex causis; verùm, malè de munere suò opinatos, vel quòd nunquam per Genium suum dejerâssent.* Regna. Cl. Claudia-
 nus, (Epist. II. quæ est ad Serenam, v. 47.) : *Quid non perficeret scribentis voce Serena vel Genius regni vel pietatis amor? Quem regni Genium Barthius, (Animadvers. ad h. l. p. 963.) Principis felicitatem, Imperiiqve totius dignitatem interpretatur, Amm. Marcellino, (Lib. XX. & XXV.) Genius publicus dictum. Urbes. Arnobius, (Lib. I. adv. gent.) : *qui*
 C Genius Principum, Regum, Cæsarium, regnorum, urbium, Faunos,*

Faunos, qui statuas, civitatumq; Genios, qui Pausas reverentur
 atque Bellonas. Aurel. Prudentius, (Lib. II. adv. Symmach.
 v. 71.) : sicut varia nascentibus, inquit, contingunt pueris ani-
 ma : sic urbibus adfert hora diesq; suum, cum primum mœnia
 surgunt, aut fatum aut Genium, cuius moderamine regnent. Qu.
 Aurel. Symmachus, (Lib. X. Epist. LXI.) : suis cuique mos,
 suis cuique ritus est. Varios custodes urbibus cunctis mens di-
 vina distribuit. Ut animæ nascentibus : ita populis fatales Genii
 dividuntur. Colonia-
 rum, XXII.) : si dederò eleemosynam, vel aliquod præstitero beneficii,
 & ille mihi Deos suos vel coloniae Genium propitios imprecetur,
 regionum, jam oblatio mea vel operatio idolorum honor erit. Regiones,
 locorum, loca. Festus, (p. 292.) : alii Genium esse putarunt unuscuius-
 que loci Deum. Virgilius, (Lib. VII. Aeneid. v. 135.) : sic de-
 inde effatus, frondenti tempora ramò implicat, & Geniumq; loci,
 primamq; Deorum tellurem, Nymphasq; & adhuc ignota precatur
 flumina. Quintilianus, (Declam. I.) : ipsi quoque servuli
 sub serpen- longius quiescunt, & præstatum grande secretum Genio loci. Qui
 tis imagi- locorum Genius ut serpens pingebatur. Servius, (ad Virgilit
 me, Lib. V. Aeneid. v. 85.) : nullus locus sine Genio est, qui per an-
 grem plerumque ostenditur. Isidorus Hispalensis, (Orig. Lib.
 XII. cap. IV.) : angues apud gentiles pro Geniis locorum erant
 habiti semper. Virgilius, postquam (cit. Lib. V. Aeneid. v.
 34. seqv.) serpentem, Aeneæ factum obvium, descripsisset,
 deinde (v. 95.) addit : incertus, Geniumné loci, famulumné pa-
 rentis esse putet? Papinius Statius, itidem post serpentis,
 (Lib. V. Thebaid. v. 515. seqv.) descriptionem, tandem (v.
 521.) subjungit : Inachio sanctum dixere Tonanti agricolæ, cui
 cura loci, & silvestribus aris pauper honos. Persius, (Sat. I.
 v. 112.) : heic, inquis, veto quisquam faxit oletum. Pinge duos
 populorū, angues : pueri ! sacer est locus ; extra me jite. Populus. Pru-
 dentius, (Lib. II. adv. Symmach. v. 369.) : ast, solers orator
 ait :

sit: fataliter urbem sortitam, quoniam Genio proprium exigat
 ævum. Cunctis nam populis seu mœnibus inditur, inquit, aut fa-
 tum aut Genius nostrarum more animarum, quæ sub disparili
 subeunt nova corpora sorte. Georg. Fabricius, (Româ p. 110.):
 Genio Populi Romani, quasi proprio & tutelari Deo, positum tem-
 plum, cuius mentio apud Dionem; sed locum nondum invenimus.
 Genius Populi Romani quibusdam nummis antiquis inscriptus est.
 Locus Dionis est (Lib. L.) iste: in templo Genii Populi conse-
 dit; qui idem, (Lib. XLVII.) inter prodigia recenset, vul-
 tures templum Genii Populi Romani insedissee. Centuria. Genii ^{centuria-}
 centuriæ mentio in antiquâ injicitur Inscriptione, quam ex- ^{rum,}
 hibet Dempsterus, (l. c. p. 209.) Fama. Martialis, (Lib. VII. Famæ,
 Eleg. XII. v. 9.): ludimus innocui; scis hoc benè. Juro potentis
 per Genium fama, Castaliumq; gregem. Justitia. Eusebius, apud ^{Justitiæ,}
 Joh. Stobæum, (Serm. XLIV. p. 307.): si quid admiseris
 præter Justitiæ sententiam, aut deceperis ipsam, velut in Deam
 maximam delinquens, tum ab ipsâ, tum à constitutis circa eam
 Geniis, custodibus & ultoribus, pro factis vindictam expectato.
 Et: inter inimicos iudex constitutus, ius examina, & sententiam
 ad ejus momentum inclina. Justitia enim & præfectus ei Genius
 digniores sunt, majorisq; haberi merentur, quam ut inimicitie
 gratificeris. Genus sive familia. Nonius, (cap. II. n. 392.): generis,
 Genius, generis Deus. Laberius, imagine: Genius, generis nostri
 parens. Maritus. Arnobius, (Lib. II. adv. gent.): cum in maritorû,
 matrimonia convenitis, togâ sternitis lectulos, & maritorum Ge-
 nios advocatis. Lectus. Juvenalis, (Sat. VI. v. 21.): antiquum ^{lectorum,}
 & vetus est, alienum, Postume, lectum concutere, atque sacri Ge-
 nium contemnere fulcri. Focus. Arnobius, (Lib. IV. adv. focorum,
 gent.): Lateranus, ut dicitis, Deus est focorum, & Genius, ad-
 auctusq; hoc nomine, quod ex laterculis crudis ab hominibus cami-
 norum illud exedificetur genus. Mensa. In mensâ alicujus ^{mensarum,}
 Dei ponebatur statua, veluti tutela ac Genius, observante

Virò luculentorum in rem literariam meritorum, max. Rev. Dn. Dilherrò, (Lib. III. Elect. cap. XXV. p. 575.) Ita Herculem Epitrapezium legimus apud Statium, (Lib. IV. Silv. carm. VI. v. 32.) qui Vindici fuit *castæ Genius tutelaq; mensæ, Amphitryoniades*; & ante Vindicem, eundem Herculem mensalem (Ibid. v. 59.) *Pellæus habebat regnator latius numen statuarum, venerabile mensis.* Statua. Statius, (Lib. I. Silvar. carm. I. v. 1.) : *quæ superimpositò moles Geniata colossò stat, Latium, complexa forum?* Quam vari terfissimo lectionem adseruit laudatus Barthius, (Advers. Lib. IV. cap. XX. p. 197. Lib. XXXI. cap. IV. p. 1425. & Lib. LII. cap. XII. p. 2457.) ex cujus interpretamentò *moles Geniata* valet, Geniò quopiam habitata, hoc est, colossus Domitiani Aug. cujus *Geniò locum subditum laborare* dicit idem Papinius, (seqv. v. 56.) : *vix sola sufficiunt, insessaq; pondere tantò subter anhelat humus: nec ferrò aut are laborant; sed Geniò.* Et quid non? Prudentius, (Lib. II. adv. Symmach. v. 444.) : *quanquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum? Cùm portis, domibus, thermis, stabulis soleatis assignare suos Genios, perq; omnia membra urbis perq; locos Geniorum millia multa fingere, ne propriâ vacet angulus ullus ab Umbrâ.*

Sed ad homines revertamur. Quomodo nunc Genium die quisque suò natali coluerit, paulò adcuratiùs dispiciendum. In specie munus annale eidem solverunt non quidem hostiâ animali: pessimi quippe res erat ominis, manûs sanguine ac cæde tum polluere: *ne scilicet die, quâ ipsi lucem accepissent, aliis demerent*, ut loqui amat Censorinus, (cap. II.) & ex eo Alex. ab Alexandro, (Lib. II. cap. XXII.) sed pulte fritillâ, docente nos hoc naturæ bibliothecariò, Pliniò, (Nat. Hist. Lib. XII. cap. VIII.) : *hodiè sacra prisca atque natalium pulte fritillâ conficiuntur.* M. Antonius Muretus, (Var. Lect. Lib. XII. cap. I.) ex Arnobio, (Lib. VII. adv. gent.) legit *fritilla, eodem*

Genio facie-
bant non
hostiâ; sed

pulte fri-
tillâ:

eodem significatu. Nic. Perottus, (Corn. Cop. p. 897.)
fritilla: puls, inqviens, *fritilla*, *cibus ex pulte factus, qui fri-*
gitur. Unde non ineptè vulgò offulas, ex farina factas, fritas &
fritillas adpellant. Sed Illustris Jos. Just. Scaliger, (Conject.
 in Varr.) contendit, legendum *fritilla*, quod sit à *frit*, quo-
 modo illud in summâ spicâ jam maturâ, quod est minus, quàm
granum, Varroni, (Lib. I. de re rust. cap. XLIX.) vocatur;
 fortè, quòd facile sit friatu, quæ πολυγλωττία Matth. Mar-
 tinl, (Lex. Philol. p. 946.) conjectura est, qui adeundus.
 Adhibebatur etiam vinum. Testis Horatius, (Lib. II. Epist.
 I. v. 144.) : *Tellurem porcò, Silvanum lacte piabant, Floribus &*
vinò Genium, memorem brevis ævi. Ovidius, (Lib. V. Trist.
 Eleg. V. v. 11.) : *Da mihi tura, puer, pingves facientia flammæ,*
quodq; pio fusum stridat in igne merum. Persius, (Sat. II. v. 3.) :
funde merum Genio. Istiusmodi verò vinum debuit sacrificiis
 esse aptum. Aptum autem sacrificiis quodnam fuerit, ex
 Plinio, (Lib. XIV. cap. XIX.) nec - non aliis scriptoribus
 tradit Cl. Piccartus, (Orat. Acad. X. p. 185.) Nimirum, vi-
 num sacrificiis aptum non solùm merum esse debuit; sed
 etiam purum. Neque etiam, ut purum esset, sat fuit, merum
 esse, hoc est, aquâ non edomitum; sed præter hoc non de-
 buit esse de vitibus imputatis aut semiputatis, aut de coelo
 tactis, talibusvè, juxta quas homo suspensus aut suspendio-
 sus. Debuit etiam tale vinum non calcatum fuisse cruentis
 aut vulneratis pedibus, non aliter quàm circumcisis vinaceis
 profluxisse, nec pollutum supernè deciduò aliqvò immun-
 diore lapsu. Non item debuit esse defrutum, non igne ta-
 ctum, non mustum. Harum conditionum unâ carens vinum
 sacrificiis ineptum erat, & veteribus Romanis, autore Festò,
 (p. 444.) *spurcum* dicebatur. Istis, quas diximus, qualitati-
 bus præditum, vinum erat Genii aliorumvè Deorum sa-
 crificiis aptum, atque idè etiam peculiari nomine *calpar ve-* & *calpar*

vocatō, *retes istud designarunt, quod, eodem deficiente Festo, (p. 262.) vinum erat novum, quod ex dolio demebatur, sacrificiū causā, antequam gustaretur. Fuit verò propriè genus vasis fictilis, juxta eundem, cui consentit Nonius, (cap. XV. n. 31.): calpar, nomine antiquò dolium. Varro de vitā pop. Rom. Lib. I. quòd antequam nomen doliis prolatum esset, cum id genus vasorum calpar diceretur, id vinum calpar adpellatum. Hoc merum tunc non in aram solùm; sed in ipsum quoque Genii caput fundebant, quod fundendi verbum sacrificiis peculiare. Tibullus, (Lib. I. Eleg. VII. v. 49.): *Huc ades, & centum ludos, Geniumq; chorèis concelebra, & multò tempora funde merò.* Quam fusionem, sive calparis in caput Genii libationem, trinam fuisse, ex eodem colligitur Tibullò, qui adserit, Junoni natalitiæ ter fieri merò solitum, (Lib. IV. Eleg. VI. v. 14.): *ter tibi fit libò, ter, Dea casta, merò.* Fallor? an, quòd numerus ternarius perfectus, Superisq; sacer fuit habitus. Hinc eodem numerò in expiationibus sæpissimè utebantur; cuius rei exempla adnotavit post alios Anton. Foquelinus, (not. ad Pers. p. 59.) Mero socium addebatur *libum*, quod Ovidio, (Lib. III. Trist. Eleg. XIII. v. 17.) vocatur *genitale notans tempus*, & Nic. Perotto, (Corn. Cop. p. 504.) dicitur *placenta genus, ex farre & melle factum, Deorumq; sacrificiis aptum. Dicta igitur liba fuerunt, quòd libarentur, priusquam essent, (comedissent,) coctum; vel, quòd eorum in libationibus Deorum creber usus; vel, quòd in ea aliquid suave solerent *λείβειν*, i. e. fundere.**

quòd aram, atque Genii caput perfundebant: *Sacra præterea Genio fiebant melle. Testis utriusque hujus libationis denuò Tibullus, (Lib. I. Eleg. VII. v. 53.) Sic venias hodiernæ, tibi tum turis honores, liba, & Mopsopio dulcia mella feram.* Ture denique Genium die natali placatum fuisse, plurima Autorum loca fidem faciunt. Ovidius, (Lib. III. Trist. Eleg. XIII. v. 15.): *Fumida cingatur florentibus ara coronis, micaq; solemnè turis in igne sonet.* (Lib. V. Eleg. V. v. 11.): *Da mibi*

enibi tura, puer, pingves facientia flammās. Tibullus, (Lib. II. Eleg. II. v. 1.): *Dicamus bona verba; venit natalis ad aras. Quisquis ades, lingua vir mulierq; fave! Urantur pia tura focis, urantur odores, quos tener à terrâ divite mittit Arabs.* Et iterum, (Lib. IV. Eleg. V. v. 9.): *magne Geni, cape tura libens, votisq; faveto!* Quæ quidem ture sacrificandi ratio quamvis ad unum omnibus esset communis. Namque *dat populus, dat gratus Eques, dat tura Senatus,* canit Martialis, (Lib. IX. Epigr. XV. v. 3.) & ante hunc Virgilius, (Lib. IX. Aen. v. 105.): *Una omnes juvenum primi pauperq; Senatus tura dabant;* alia tamen ea fuit atque alia, quòd facultates cujusque alia fuerunt. Etenim, honestiores, & qui magnò cultu ac paratu rerum diffluebant, ipsos turis acervos *aris ingerebant,* ut loquitur Plinius, (Lib. XII. cap. XIV.) *sive, sanctis focis imponebant,* ut Ovidius, (Lib. II. de Ponto Eleg. I. v. 32.) *sive, ante ipsa Numinum signa altaribus injiciebant,* ut Arnobius, (Lib. VII. adv. gent.) *sive, tura dabant,* ut Tibullus, (Lib. III. Eleg. III. v. 1.) *sive, ture litabant,* ut Persius, (Sat. V. v. 120.) *sive, tura intendebant,* ut Cicero, (Orat. VI. Verr.) *sive, ture Deos placabant,* ut Horatius, (Lib. I. Od. XXXVI. v. 1.) *effert.* Meminit horum turis acervorum Tibullus, (Lib. IV. Eleg. VI. v. 1.) quando Junonem sic adfatur: *Natalis Juno, sanctos cape turis acervos, Quos tibi dat tenerâ docta puella manu,* & Arnobius, (Lib. IV. adv. gent.): *non, qui sollicitè relegit, & immaculatas hostias cedit, qui acervos turis dat concremandos igni, Numina censendus est colere.* Estque idem, quod alii de *plenâ acerrâ* sive *lance* dictum volunt. Virgilius, (Lib. V. Aen. v. 745): *cana penetralia Vestæ farre piò & plenâ supplex veneratur acerrâ.* Horatius, (Lib. III. Od. VIII. v. 2.): *quid velint flores, & acerra turis plena, miraris?* Ovidius, (Lib. IV. de Ponto Eleg. IX. v. 17.): *turaq; mente magis, plenâ quàm lance dedissem.* Pauperiores verò & imparati à sumtu, contenti erant, *pauperes grana*

cuius divi-
 tes acer-
 vos

plenâ acer-
 râ & lance

verò grana grana duntaxat aliquot vel glebularum & micarum extremis digitis
 injicere. Ovidius, (Lib. IV. Fast. v. 204.) : *detis & in veteres
 turea grana focos ; & iterum, (Lib. IV. de Ponto Eleg. VIII.
 v. 20.) : Nec quæ de parvâ pauper Dis libat acerrâ tura minus,
 grandi quàm data lance valent.* Plautus, (Pœn. act. II. sc. I. v. 3.) :
quivè ullum turis granum sacrificaverit. Tertullianus, (Apolog.
 cap. XXIV.) : *qui ei offero opimam & majorem hostiam, quàm ipse
 mandavit, oratione de carne pudicâ, de animâ innocenti, de Spiritu
 sancto profectam ; non grana turis, unius assis.* Nec de micâ
 turis Autorum desunt testimonia. Ovidius, (Lib. III. Trist.
 Eleg. XIII. v. 16.) : *micæq; solemnî turis in igne sonet.* Plinius,
 (Lib. XII. cap. XIX.) : *estimentur postea toto orbe singulis annis
 tot funera, acervatimq; congesta honori cadaverum, quæ Diis per
 singulas micas dantur.* Micas autem vocabant contusa grana,
 vel, quod idem ait Plinius, (Ibid. cap. XIV.) *concusu elisa.*
 Et ita micam turis dixit Columella, (Lib. VI. cap. XXX.),
 quam in animo etiam habuisse videtur Tibullus, (Lib. IV.
 Eleg. I. v. 14.) : *Parvâq; cælestes placavit mica, nec illis semper
 inauratô taurus cadit hostia cornu.* Summis autem digitis, duo-
 bus aut tribus, in aras aut focum jacta fuisse tura, confirmat
 Lactantius, (Lib. III. Instit. cap. XX.) quando, causam pro-
 ferens, cur Christiani à gentilibus stulti fuerint habiti? in hæc
 erumpit verba: *Cruciari, quàm tura tribus digitis comprehensa
 in focum jactare, tam ineptum videtur, quàm in periculo vitæ al-
 terius animam magis curare quàm suam,* & Hieronymus, (Tom.
 I. Epist. I. ad Heliod.) *non est, inquit, in eo tantum servitus
 idoli, si quis duobus digitulis tura in bustum aræ jaciat.* Quibus
 pulchrè adsonant ista Prudentii, (Peristeph. hymn. IX.
 v. 122.) : *si modicum salis eminulis Turis & exiguum digitis Tan-
 gere virgo benigna velis, Pœna gravis procul afuerit.* Hoc etiam
 è Juvenali nequaquam silentiô transmittendum, quòd in-
 terdum cucullô sive involucrô tura focus injecta. Verba ejus,
 (Sat.

& micas

summis di-
gitis inji-
ciebant.

(Sat. XIII. v. 45.) ita habent: *aut cur in carbone tuo chartâ pia tura solutâ ponimus?* Quod de chartâ quidem, in quâ vota obfignata fuerant, Janus Rutgersius, (Lib. V. Var. Lect. cap. V. p. 459.) intelligit. Sed, ne longiùs ab instituto provehamur, ad Genium nostrum revertimur, quem & quisque die suô natali unxisse unguentis benè-olentibus, atque floribus vividis, in coronam coactis, ejusdem exornâsse caput deprehenditur in illo Tibulli, (Lib. I. Eleg. VII. v. 51.): *Illius è nitidò stillent unguenta capillò, & capite & collò mollia ferta gerat;* nec non alio in loco ejusdem vatis, (Lib. II. Eleg. II. v. 5.): *Ipse suos adsit Genius visurus honores, cui decorent sanctas florea ferta comas.* Illius è puro destillent tempora nardo, atque satur libò sit, madeatq; merò; itemque in isto Horatiano, (Lib. II. Epist. I. v. 144.): *Te & porcò, Silvanum lacte piabant, floribus & vinò Genium, in rem brevis ævi.* Nec istud ignorandum, quòd ad hunc illius cultum peculiaris exstructa ara, & corollis insuper cincta. Ovidius, (Lib. III. Trist. Eleg. XIII. v. 15.): *Fumida cingatur florentibus ara coronis, micaq; solemnituris in igne sonet.* Et iterùm, (Lib. V. Eleg. V. v. 9.): *Araq; gramineo viridis de cespite fiat, & velet tepidos nexa corona, focos.*

Genium
ungebant
& coro-
nabant.

Genii quo-
que ara co-
ronata.

Posteà sacrificio huic accedebant non gratiæ duntaxat pro tutelâ, & vitâ cum in diem prorogatâ; sed precibus etiam petierunt, ut præsens vita & futura melior contingeret quàm præterita, ac ut, confectis multis temporum spaciis, ad maturam, felicem, fortunatamq; senectutem liceret pervenire! uti è Dionysio Halicarnasensi, (Lib. VI. Antiqv. Rom. cap. V.) patet. Quod ipsum Herodotus, (Lib. III.) vocat *ἡμέραν θεοπείθειν*, quemadmodum Spartianus (Getâ,) & Lampridius, (Alexandrò Severò,) natalem alicujus commendare. Commendare enim *ἀπαλῶς*, sive, *DIs commendare*, est, *εὐχεσθαι ὑπὲρ τινος*, ut observat Isaacus Casaubonus, (Not. ad Spartian. p. 42.)

Gratias a-
gebant pro
tutelâ, &
vota con-
cipiebant
de vitâ fu-
turâ.

D

De

Amici gra-
tulaban-
tur.

De votivis porro amicorū gratulationibus ita Ovidius, (Lib. III. Trist. Eleg. XIII. v. 17.): *Liba q̄ dem pro te, genitale notan-
tia tempus, concipiam q̄ bonas ore favente preces?* Idem, con-
jugis natalem celebrans, (Lib. V. Eleg. V. v. 5.): *Lingua fa-
vens adsit, nostrorum oblita malorum, quæ, puto, dedidicit jam
bona verba loqui.* Propertius, (Lib. III. Eleg. X. v. 1. seqv.):
*Mirabar, quidnam misissent manè Camœna, ante meum stantes,
sole rubente, torum. Natalis nostra signum misere puella, & ma-
nibus faustos ter crepuere sonos: Transeat hic sine nube dies,
stent aëre venti, ponat & in sicco molliter unda minas. Adspi-
ciam nullos hodiernâ luce dolentes, & Niobes lacrymas supprimat
ipse lapis!* Persius, (Sat. II. v. 1.): *Hunc, Macrine, diem nu-
mera meliore lapillô, qui tibi labentes adponit candidus annos.*
Tibullus, (Lib. IV. Eleg. V. v. 1.): *Est, qui te, Cerinthe, dies
dedit hic, mihi sanctus, atque inter faustos semper habendus erit.
Te nascente novum Parca cecinere puellis servitium, & dederunt
regna superba tibi. Trajano Imp. & hunc natalem, & plurimos
alios quam felicissimos agat, aternâq̄ laude florentem virtutis
sue gloriam & incolumis & fortis aliis super alia operibus augeat!*
(Lib. X. Epist. LXXXIX.) optat Plinius. Symmachus etiam,
(Lib. VI. Epist. LXXIX.) Nicomachi filiis: *avum, ait, ma-
neat hic dies, qui te nobis, filia, dedit. Hunc ego & gaudiis men-
tis & verborum honoribus per multos annorum recursus vobiscum
opto celebrare.* Nec non Lucanus, (ad Pison. v. 147.): *Felix
illa dies, totumq̄ canenda per orbem, quæ, tibi vitales cum pri-
mum traderet auras, contulit innumeras intra tua pectora dotes.*

Ab amicis
vota expe-
gebantur.

Quin, ut valdè necessarii & familiares die cujusque natali
piis votis ac gratulationibus adesent, rogabantur. Quam
in rem Martialis, (Lib. X. Epigr. LXXIII. v. 1.): *Octobres, age,
sentiat Calendas facundi pia Roma Restituti. Linguis omnibus &
favete votis! Natalem colimus, tacete lites!* Et iterum, (Lib.
VII. Epigr. XIX. v. 1.): *varis Apollinei magnô memorabilis ortus*

lux

lux redit. Aonidum turba favete sacris! Circumfertur quoque
 Epigramma, Virgilio vulgò adscriptum, huc faciens, quod tale:
 Clarus inoffensò procedat lumine Titan, latifuscusq; dies eat omni-
 bus aethere purò! Vosq; simul, juvenes, animis & voce faventes
 concelebrate diem votis felicibus alnum, prosper ut is semper redeat,
 vatiq; quotannis Asmenida referant alacres sua munera nati.
 Unusquisque etiam optima quælibet ulterius sibimetipsi ad-
 precabatur. Cujusmodi voti reum se fecit Augustus Cæsar, Ipse sibi o-
 ptima pre-
 cabatur,
 quando ad Cajum nepotem ita scripsit: Oculi requirunt meum
 Cajum, quem, ubicumque hóc die fuisti, spero latum & benevo-
 lentem celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum. Nam,
 ut vides, κλιμακσίηα, communem seniorum omnium terminum,
 tertium & sexagesimum annum evasimus. Deos autem oro, ut
 mihi, quantumcunque superest temporis, id salvis vobis tradu-
 cere liceat, in statu Reipubl. felicissimo, ἀνδραγαθῶν ὑμῶν καὶ δια-
 δεχομένων stationem meam, referente Agelliò, (Noct. Attic.
 Lib. XV. cap. VII.)

Inprimis verò, ut ipsis deinceps constaret mens bo-
 na, fama, fides, rogârunt, ut autor est Persius, (Sat. II. v. 8.)
 nec - non, ut idem Genius, verbis ejusdem Satyrici, (Ibid.
 v. 2.) labentes candidus annos adponeret, quò natalem suum
 iterum atque iterum redeuntem cernerent. Tibullus, (Lib. & natalem
 I. Eleg. VIII. v. 63.) : at tu natalis, multos celebrande per annos, suum sæpi-
 us redire
 candidior semper candidiorq; veni! Martialis, (Lib. IV. Epigr. vovebat.
 I. v. 1.) : Caesaris alma dies & luce sacratioꝝ omni, conscia Dictæum
 quâ tulit Ida Jovem; longa, precor, Pyliog; veni numerosior avò,
 semper & hóc vultu, vel meliore, nite! Idem, (Lib. X. Epigr.
 XXIII. v. 1.) : Natales mihi, Martia Calenda, lux formosior
 omnibus Calendis, quâ mittunt mihi munus & puella; quinquæ-
 gesima liba, septimamq; vestris addimus hanc focis acerram. His
 vos, si tamen expedit roganti, annos addite ter, precor, novenos,
 ut nondum nimiam piger senectâ; sed vita tribus areis peractis,
 lucos

Quæ vota
fiebant pa-
lâm, voceq;
clarâ.

lucos Elysia petam puella. Post hæc tempora nec diem rogabo. Illud
ex abundanti parte lubet adjicere : concipiebantur hæc &
talia vota alia non *seductis Divis*, Persi verbô, (Sat. II. v. 4.)
hoc est, clandestinô murmure; nec *tacitô suspendebantur verba*
labellô, ut Catullus, (Carm. LX. v. 104.) neque *introrsum aut*
sub lingvâ immurmurabantur, ut idem Persius, (Ibid. v. 9.)
loqui amat; sed ex instituto Pythagoræ sapientissimo *μετὰ*
φωνῆς, *clarè*, & *ut audiat hospes*, ut idem ait Satyricus, (Ibid.
v. 8.) palâm, ut à quolibet prætereunte possent percipi. Cu-
jus rei causam adfert secularis literaturæ helluo, Clemens
Alexandrinus, (Lib. IV. Strom.) verbis subsequis : *τοῖ τῶν*
οἱ Πυθαγόρειοι βελόμυοι μετὰ φωνῆς εὐχεσθαι κελεύουσιν ; ἐμοὶ δοκεῖ
ἔχει ὅτι τὸ θεῖον ὄντο μὴ δύνασθαι τῶν ἡσυχῆ φηγομένων ἐπαίειν, ἀλλ'
ὅτι δικαίας ἐβέλουτο εἶναι τὰς εὐχὰς, αἷς οὐκ ἂν τις αἰδεοθεῖν ποιῆσαι
πολλῶν συνειδότην. Quid ergo volebant sibi Pythagoræi, præcipien-
tes, *clarâ voce precari*? Meô quidem animô hoc : non, quôd præ-
tarent, Deos exaudire non posse, si quid *tacitè precemur*; sed,
quia *voluere justas hominum esse preces*, & *quas non vererentur*
facere multis arbitris sive consciis. Hinc est, quôd tacita vota
à viris cordatis fuerint improbata. Seneca, (Epist. X.): *Nunc*
quanta dementia est hominum? turpissima vota Diis insurrant :
si quis admoverit aurem, conticescent : & *quod scire hominem*
volunt, Deo narrant. Sic vive cum hominibus, tanquam Deus vi-
deat : sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. Nec à
Satyricorum reprehensionibus immunia. Horatius, (Lib. I.
Epist. XVI. v. 57.) : *Vir bonus, omne forum quem spectat, &*
omne tribunal, quancumque Deos vel porcô vel bove placat :
Jane pater ! clarè, clarè cum dixit : Apollo ! labra movet, me-
tuens audiri : pulchra Laverna, da mihi fallere, da justum san-
ctumq; videri : noctem peccatis, & fraudibus objice nubem. Per-
sius, (Sat. II. v. 6.) *haud cuivis promptum est murmurq; humilesq;*
susurros tollere de templis, & apertô vivere votô, i. e. apertâ &
clarâ

Vota tacita
reprehen-
sâ :

melian
iqul muol
tribet di
androv

clarâ voce percepto, cui (præc. v. 5.) opponitur acerra ta-
cita: *Aut bona pars procerum tacitâ libabit acerrâ.* Quan-
doque etiam vota nuncupata, in tabellâ conscripta, cerâ
consignabantur, atque ita Deorum genibus aut statuis in
publico adfigebantur. Quod Juvenali, (Sat. X. v. 55.) est
genua incerare Deorum. Plinius, (Lib. X. Epist. XLIV.) ad
Trajanum Imp. *Solemnia vota tua pro incolumitate tuâ, quâ
publica salus continetur, & suscipimus, Domine, & pariter solvi-
mus, precati Deos, ut velint ea semper solvi, semperq; signari.*
Ad quem locum Excell. Dn. Buchnerus ista annotat: *susci-
pere, solvere, signare, propria in re votorum verba sunt. Susci-
piuntur vota, cum nuncuparentur relata in tabulas. Cum
sic conscripta essent, signabantur, & adfigebantur Deorum
statuis. Facti eorum compotes, quæ essent precati, eas tabellas
refigebant, solvebantq; reddebantq; Diis, quæ se daturos pro-
ferant. Ita ille, καὶ μεγάλη χάρις αὐτῶ!* Quid nunc, sacris ita
pleno ritu perfectis, votisq; piè redditis, Veteres die nata-
litiò ulterius peregerint, dispiciendum foret. Sed, de eo
agemus, priscâ ampliandi formulâ, **DIE ALIO.**

Ad ea, quæ expedita danda restant, justò nunc ordine
devolvimur. Interrogatus aliquando Articus ille Salomon,
Socrates: *quænam civitas optimè administraretur?* illa, re-
spondit, *quæ ex lege vivit, & injustos punit, ut refert Maxi-
mus, Episc. Taurin. & Confessor, (Serm. LXIIX.)* Ex lege
igitur vivendum est civitati, quam florentem ac vigentem
cupias. Quid autem rei, quæso, *lex* est? Certè, dicente
(apud Stobæum, Serm. XLI. p. 268.) Demosthene, *anima ci-
vitatís.* Sicut enim anima in toto corpore ac in singulis cor-
poris partibus est rota: ita ista quoque civitatís anima, ut
totum, per omne Reipubl. corpus se diffundat, illudque in-
formet, summè necessarium est. Quemadmodum porro,
si à corpore separatur anima, illud amplius conservari ne-

in tabellâ
conscripta
publicè ad-
fixa.

quæ; sed eo ipso statim momentò concidit, expirat, perit: sic Respubl. salva esse ac incolumis nulla potest, nisi salutaribus regatur atque dirigatur legibus. Atque hinc est, cur Leges primitus inventæ & promulgatæ sint, uti vel ex uno disertissimi Romuli nepotum effato, (Orat. in Varin.) liquet: *à majoribus nostris, inqvientis, nullâ aliâ de causâ leges sunt inventæ, nisi ut cives suos incolumes conservarent.* Et iterum, (Lib. II. de legib.): *constat profectò, ad salutem civium, civitatumq; incolumitatem, vitamq; omnium quietam & beatam conditas esse leges.* Quòd cum ita se habeat, maturimò sanè factum consiliò, ut à Munificentissimò Gymnasii nostri Fundatore cum de aliis, tum vel maximè de Legibus eidem prospectum fuerit. Quæ licet aut roboreis commendatæ tabulis, aut æri incisæ, atque per fora ac templa, qui antiquus nonnullarum gentium mos erat, suffixæ non sint; facile tamen eas est cognoscere. Verum enim verò, plerumque, amat fieri, ut peregrina & longè posita sequamur maximè; ast, quorum facilis datur copia, negligamus penitus. Quod cum & circa Leges suas Majores nostri metuerent, id contrà excogitârunt remedii, ut singulis annis Jurisdictionem Gymnasticam agnoscentes convocarentur, & sic pro concione illæ recitarentur. Ita enim fore arbitrabantur, ut Legum notitia ad Studiosæ Juventutis perveniret aures, ac, quæ sancita & instituta essent inibi, fidelius paullò adservarentur. Neque enim ullum alium sensum ad animi motûs cingendos æqvè magis efficacem esse, quàm auditum, Philosophorum nôrunt filii. Et certò constat, non plus modò delectare, quæ audias; sed hæere etiam memoriæ firmiùs, quàm si quæ legeris. Quem laudatissimū à Majoribus introductum morem nec in præsens nos migrabimus. Age proin, Vir Humanissime atque Ornatisime, Nicolæe Rübeli, Scholæ Senatoriæ Collega & Succentor, prodi, ac verba Legum Gymnasticarū præi.

LEGES

LEGES PRO DISCENTIBUS.

Constit.
Ecclesiast.
P. 353.

I. **Q**ui peregrè advenerint, sua apud Directorem nomina profiteantur, & testimonia antea vitæ, si quidem iis opus, exhibeant. Tum eorum profectus explorentur, ut constet, an in Classibus, an inter Publicos locum habere debeant. Sua enim statio cuiq; assignanda. In numerum verò Publicorum auditorum illi recipiantur, qui artes percepere Logicas, quæ præcepta, quæ usum; & non congruè tantum; sed etiam Latine loqui didicerunt, nec non in Grecis aliquantò longius proveci sunt. Tyrones hunc in ordinem cooptare, est aviculas implumes suis è nidulis ejicere. Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.

II. Pietatem studiorum suorum fundamentum ponant, assidue sint in audiendis sacris concionibus, frequentes in usu Sacramentorum: quod duplex verbum Spiritus sancti est vehiculum. Avertentur diras, & execrationes in DEUM contumeliosas: à juramentorum levitate abhorreant: libros ètrogodóξς non circumferant: ne falsa prius imbibant, quàm veris imbuantur. Facilis descensus Averni; sed redire ad superos, hoc opus, hic labor est.

III. Preces ad DEUM subinde fundant: cum pietas & sapientia non nisi ab illo Patre luminum descendant: qui tamen plerumq; nobis bona labore vendit. Dimidium itaq; facti est orare, dimidium laborare.

IV. Ministros Ecclesiarum, omnem Aulam Illustrissimi Principis, cives, matronas & virgines honestas, debito honore afficiant, caput aperiant, locò cedant, venientibus assurgant, & ita, se non tantum in literis; sed etiam in moribus præclaros fecisse progressus demonstrant. Hoc sensu honor verè honorantis potius est, quàm honorati.

V. Præceptores locò parentum habeant, & ab ipsorum nutu totò pendeant, facturi quicquid jusserint, usq; ad aras. Quæ obedientia mater est omnis felicitatis. Eosdem colant verbis, opere, patientiâ. Nam & illi sunt homines, à quibus nihil humani alienum. Et parentem, si æquus est, ames; sin aliter, feras.

VI. lvs.

VI. *Iisdem gratias habeant & agant, gratiamq; referant, quotiescunq; res & occasio tulerit: quamvis referre pares nunquam possint. Ingratum si dixeris, omnia vitia dixeris: nec recedet pœna à domo ingrati.*

VII. *Caveant sibi à pravis sodalitiis, quæ rectissima ingenia detorquent. Qui enim cum claudo habitat, subclaudicare discit. Et corrumpunt bonos mores prava conversationes.*

VIII. *Pudor & verecundia maximè commendat etatem juvenilem, & quidem hic metus infamiae impedimentum, & custos omnium est virtutum. Is autem periit, cui periit pudor.*

IX. *Sobrii sint, & temperantes, neq; corpus saltem; sed etiam animum castum & illibatum servent. Sapiens enim anima habitat in sicco: & ceteræ virtutes sine castitate nihil sunt aliud, quam formosa statua sine capite. Non itaq; secum libellos amatorios, usq; nec veneficos, circumferant.*

X. *A spurcis & obscenis colloquiis penitùs abstineant. Quæ enim quis loqui nō veretur, ea parùm abest quin perpetrare audeat.*

XI. *Nihil molestiæ suis hospitibus exhibeant: habitationes non reddant deteriores: quidquid debuerint, bonâ fide solvant. Non de nihilo veteres olim jus hospitiorum sacrosanctum esse voluerunt. Et quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

XII. *In vestitu non luxurient & lasciviant. Antias & capronas, seu horridum & deforme capillitium non alant. Dolosi enim hominis dolosa vestimenta: & cultus monstrosus corporis, animi monstrosi est indicium.*

XIII. *Tabernas publicas & popinas non ingrediantur, evitandi periculi causâ. Congressibus alienis, & choreis, si ducantur, se non ingerant: ne accipiantur iracundè, tractentur indignè, contumeliosè dimittantur. Ad consiliū ne accesseris, antequàm voceris.*

XIV. *Conventicula suspecta, & occulta gurgustia, quæ, velut Sivenū cantus, imperitos adolescentes alliciunt, & miserè perdunt, tollantur oportet. Fistula dulce canit, volucrè dum decipit auceps. Sed vitare peccatum, est vitare occasionem peccandi.*

XV.

XV. Homines plebejos non despiciant, nec ludibrio habeant, nec verborum contumeliâ, aut ullis injuriis lacesant: ne audire cogantur hospites ingrati, & cum dedecore sibi damnum accersant. Ut enim quisq; sementem fecerit, ita metet.

XVI. Simultates, inimicitiae, calumniae, maledicta, rixae, procul à cœtu Scholastico, ad Cyclopa & Centauros ablegantur. Quid canis in balneo? Quid Eris in Musarum contubernio?

XVII. Offensas aut mutuae facilitatis conventionem ex animis deleant, aut sine vindicta privata ad Directorem deferant. Facile is dare veniam debet, cui veniam opus: & quod justum est, justè persequaris.

XVIII. Gladiis non accingantur, nec aliis armorum generibus. Cum enim Romae quondam, in illa populari libertate, nemini cum telo & gladio versari liceret, & si quis contra fecisset, capitalis fraus esset; quantum minus in hoc pietatis & bonarum literarum hospitio id ferendum? Studioforum arma sunt non pugiones, sicae, gladii; sed charta, stylus, libri.

XIX. Provocationes omnes pœnis gravissimis cohercebuntur. Cadi- bus & vulneribus qui delectantur, in hostes nominis Christiani eant. Hic Rhodus, hic salta.

XX. Qui noctu per vias publicas discurrunt, & tumultuantur, à nocturnis excubiis intercepti, Directori sistantur, ut sine morâ pœnas luant. Scholasticos enim apiculas oportet esse, non crabrones improbos, & *πυλῶ-εγκας* maleficos. Et qui fecerit τὰ μὴ καλὰ, ferat τὰ μὴ φίλα.

XXI. Qui peccant, haut inviti pœnas exolvant, suamq; liberent fidem, & legibus, quæ obligant vel ad obedientiam, vel ad pœnam, satisfaciant. Neutrum quibus placet, illi sibi dictum putent illud Ovidii:

— — — semel immedicabile vulnus

Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

XXII. Auditores publicae disciplinae vinculis non debent esse soluti; sed Examinum censuras subeant, scripta exhibeant, absentiae diuturnioris rationem reddant, & cum in Gymnasio, tum in aede sacrâ, interesse Musicis exercitiis, nisi Classici sufficiant, haud recusent. Omnes enim deteriores sumus licentiâ, &

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

E

XXIII.

XXIII. Olim adolescentes ingenui simul operam literis, gymnastica, Musica, & pictura impendebant: quarum artium conjunctio non improbanda, si adsit modus; sed abusus & ordo preposterus absit. Mel, si nimium sumas, in bilem vertitur, & ἔργα παρέργων, παρέργα ἔργων locò plerumq; habentur.

XXIV. φιλαυσία, & inanem eruditionis persuasionem cane & angve pejùs oderint: cum studiorum pestis sit nocentissima. Plurimum in studiis illi proficiunt, qui se minimum profecisse putant. Et ut omnis stultus superbus est: ita omnis superbus est stultus. Sic in agris spica, quò cretiores sunt, eò minus habent granorum.

XXV. Sint φιλομαθεïs, φιλήθοι, & ζηήτικοί, hoc est, cupiditate discendi, audiendi, & querendi ardeant: neq; dubium est, quin πολυμαθεïs futuri sint. Muscam enim docet amor, & cognitu facilima, quæ discantibus amabilia.

XXVI. Ad lectiones audiendas maturè confluant, nec ante finem operarum Scholasticarum vel palàm abeant, vel clanculùm se subducant. Quicquid agis, id agendum seriò, seu, ut habet proverbium: Testudines aut comedendæ sunt, aut non comedendæ.

XXVII. Suis in studiis eo, quem Praeceptores designarunt, ordine, pergant, & contra difficultates omnes audacter eant. Urticam si cunctanter attingas, urit; sin fortiter premas, hebescit.

XXVIII. Non tàm chartæ, quàm memoria inscribant, quæ discenda, ne amissis libellis, jacturam omnis eruditionis faciant, & domum vacui, post decimum annum, revertantur. Tantum enim quisq; scit, quantum memoriã tenet.

XXIX. Intempestivis lucubrationibus & vigiliis seipsos non macezent, & conficiant. Ita discendum, ut diu discere: ita laborandum, ut diu laborare: ita vivendum, ut diu vivere possimus.

XXX. Quicquid didicerunt in curriculo suorum studiorum, id omne referant ad DEI gloriam, Ecclesia salutem, & Reipublicæ utilitatem. Nec de successu conatum suorum dubitent. Studiorum enim fructus nō in principiis; sed in post-principiis apparent. Et, Facta, quæ tua sunt: cætera mitte DEO.

XXXI. Ut pauperioribus consulatur, ex eorum numero cæteris Musicus seligetur, qui binis septimana diebus vicatim aliquid pecuniolæ colligant, & rebus necessariis impendant. Illis certæ ferentur leges, ne, quod sæpè fit, ebriosis alienam beneficentiam in αἰσίλγεια & αἰσῶσια convertant.

XXXII.

XXXII. *Cum nonnulli sint, qui, ut plus licentiae narciscantur, in Scholas itare desinunt, & nihilominus hoc in oppido commorantur, nec ipse tantum disolutè vivunt; sed etiam aliis nequitia fenestram aperiant: operam dabit Magistratus, ne hi tolerantur fuci; sed procul nostris ab alveolis arceantur. Privatis tamen alumnorum Praeceptoribus, qui jam alibi suam absolverunt Cyclopaediam, nihil praescriptum volumus; quamvis consultissimum sit, ut exemplò suo, quae ipsis legibus multa sunt efficaciora, discipulis praeeant.* —

Non sic inflectere sensus humanos edicta valent, quam vita regentum.

XXXIII. *Haec leges, quae & honesta sunt, & auctoritate Magistratus conditae, & usu multis retrò seculis in omnibus propè Scholis receptae, ne telis aranearum similes evadant; sed vindicentur ab interitu, & executioni mandentur, Scholarchae singulis annis geminà vice lustrabunt hoc Gymnasium, & cum alia exquirent omnia, tum vel maximè, an satisfactum sit statutis, expiscabuntur, & ea, quae dilapsa, colligent: quae soluta, astringant: quae locò mota, in integrum restituant.* —

Sic omnia fati in pejus ruere, & retrò sublapsa referri.

XXXIV. *Si quae tamen sunt, quae vel addenda, vel demenda, vel mutanda tempus & rerum varietas obtulerit, ea in meliorem formam redigere non privati erit arbitrii; sed publici Scholarcharum consilii: quod sine laquei periculo multis in Rebus publicis haec tenus factitatum est. Sed ut absque temeritate fiat, oportet. Melius enim cum civitatibus agitur, quae legibus deterioribus quidem utuntur; sed firmis tamen & immutabilibus, quam quae melioribus & irritis, inquit Cleo, Demagogus Atheniensium.*

Faxit Deus Optimus Maximus, ut omnes honestis obsequamur legibus, neque sub metu poenarum; sed sub certâ spe praemiorum hoc, quicquid est, vitae mortalis transigamus.

D. L. H. G.

Pii est filii, parentibus obsequi, & boni civis, imperio Principis rectè parere. Ut itaque Legibus nostris Gymnasticis, quae strictissimè servandae sunt omnibus, sua constet auctoritas, suus vigor, suum decus, singulos atque universos, universos atque singulos, quotquot heic Studiorum commorantur gratiâ, summò adhorta-

E 2

mur

mur opere, ut vitam piam, sobriam, ac frugalem vivant, utque ab omni helluandi grasfandi que libidine penitus penitusque se abstinant: præprimis capitalem istam Juventutis pestem, pravum sodalium, quantum potest, detestentur, execrentur, abominentur. *Quid olla fictili cum aenea?* Siracides, (cap. XIII, 2.) de mali consortii periculo præsentissimo verba faciens, graviter querit. Sicuti apiculæ instar non ex sacris tantum; sed profanis quoque Scripturis, (quod & ipse non diffiteretur, & præter collationem, temporis, quo vixit, circumstantia, planum facit,) vir sapiens sua composuit mellificia: ita paroemiam isthanc non adeo aliis omnibus obviam, ex apologo veteri desumpsisse censendus est. Fingitur ibidem, ollam fictilem & æneam torrente quodam simul fuisse abreptas; sed, ne colliderentur invicem, fictilem, accessum ad æneam vitando, sibi cavisse. Cum verò secessus rationem quereretur ænea, responsum tulisse: ne tuo contactu perimar. Talis inæqualium commilitum collisio sanguine viperino cautiùs vitanda etiam est in Scholis atque Gymnasiis, cum unus virtutibus, alter vitiis operam impendat, & metus sit, ne contagione malorum perimantur boni. Non enim omnes, qui eò ablegantur, scopi præfixi rationem habent; sed libertatem, quam nacti, pravitatis suæ pallium censent, atque sic non sibi duntaxat fraudi; sed aliis etiam detrimento sunt. Legibus quidem salutaribus huic malo obviam itum est, quæ quotannis etiam hoc ex loco publico recitantur, ut in notitiam civium veniant, nec quisquam earundem ignorantiam malitiæ suæ velum prætexere possit. Sed enim, quotusquisque est, qui ad illas rectè se conformet ac componat? Nolumus heic siparium levare nimis: unum saltem alterumque vitium per transennam quasi conspiciendum damus. Numerò quidem plurimos erectæ mentis speique plenissimos Juvenes nostrum jam fovet Gymnasium, qui Pietati, qui Virtuti strenuè litant, qui Studia sua calidè habent, qui rerum suarum satagunt, quibus de, ubi frugis esse perrexerint, optima quælibet olim aliquando nobis pollicemur; attamen, Virgilianam istud, (Ecl. V. v. 37. & Lib. I. Georg. v. 153.) nostrum heic vel invitum facere cogimur: *inter nitentia culta infelix lolium,*

folium & steriles dominantur avena. Hos damnosa Venus, hos Edusa & Potina, hos Murcia & Vacuna tenet mancipatos. Sunt ordinis literarii dehonestamenta, quibus multò pulchrius est, in palæstrâ gladiatoria impuri cujusdam agyrtæ contendere, quàm eruditis acrobasis exercere animum: aut vinò se invitare largiùs, quàm optimis Disciplinis pectus implere. Unde fit, ut Docentibus in Auditoriis tamquam in solitudine quandoque versandum sit. Interea labitur res, & debita Musis tempora inter nugas & nihili res teruntur. His, ut redeant ad se, nec aliena agant amplius, sedulò occinendum & cum curâ inculcandum est priscum illud: **HOC AGE!** ut & ipsi met sua agere, & omisfis curis inanibus atque noxiis, huic uni, quod proprium eorum, attentis animis vacare velint. Non gynæceum, non taberna, non popina, non palæstra, non lasciviæ stabulum; sed pietatis, sed virtutis, sed bonæ mentis, sed doctrinæ, sed sapientiæ officina est, esse certè debet, nostrum hoc Gymnasium. Quicquid tamen hujus sit, non retrahemus Nos manum; quin strenuè potiùs agemus partes, benè satis navatam operam arbitrati, quæ vel paucis prodesset. Non dubitamus autem, reliquorum, qui & publicos Doctores negligunt, & domi suæ vix bonæ cuiquam rei student, sortem eandem futuram cum Phrygibus, quos serò sapere proverbium clamat. Neque verò tam tristes sumus ac ferrei, ut nihil omninò remissionis concedendum Vobis censeamus. Aliud svadent ac persvadent veteres sapientiæ magistri, in quibus ita Cicero, (Orat. pro M. Coel.): *datur concessu omnium huic aliquis ludus atati, & ipsa natura profundit adolescentiæ cupiditates.* Quintilianus, (Lib. I. Instit. Orat. cap. III.): *danda est omnibus aliqua remissio, non solum, quia nulla res est, quæ perferre possit continuū laborem, atq; ea quoque, quæ sensu & animâ carent, ut servare vim suam possint, velut alternâ quiete retenduntur; sed, quòd studium discendi, voluntate, quæ cogi non potest, constat.* Itaque & virium plus adferunt ad discendum renovati ac recentes, & acriorem animum, qui ferè necessitatibus repugnat. Nec me offenderit lusus in pueris: est & hoc signum alacritatis. Neque illum tristem semperq; demissum sperare possum erecta circa studia mentis fore, cum in hoc quoque, maximè naturali

ætatibus illis, impetu jaceat. Modus tamen sit remissionibus, ne aut odium studiorum faciant negata, aut otii consuetudinem nimia. Seneca, (Epist. XV.): Neg, ego te jubeo semper imminere libro aut pugillaribus. Dandum est aliquod intervallum animo, ita tamen, ut non resolvatur; sed ut remittatur. Quod prius futurum sanè, si otium in negotium, *καί ποτε* in *εργα* verterint. Quare remissionum & curarum tempus Vobis dividendum probè. Cum satisfactum officio, jam solvere frontem, & liberali voluptate animum perfundere, aut exercere corpus, nemini fraudi esse potest. Hæc, ô Nostri, perpendite & considerate assidue, quæ Leges præscribunt, quæ summus Magistratus exigit, quæ fidelissima Virorum cordatorum monita præcipiunt passim & inculcant. Quod si feceritis, & consulētis Vobis optimè, & efficiētis, ut Gymnasium nostrum, cetera satis famigerabile, hōc etiam nomine apud exteros meliùs audiat, cujus summa & præcipua laus in virtute ac probitate Discipulorum posita est.

Quod superest, ineffabili Tuæ bonitati, DEUS Optime Maxime, Conditor, Conservator, ac Miserator noster, hōc ex locō, gratias, non quas beneficia Tua requirunt; sed quas cordis ac oris nostri infirmitas agere potest, habemus. quòd in isthoc Pietatis & Sapientiæ domicilium tam luculenta hætenus beneficia plenâ manu contuleris, ac inter tot ac tot seculi mala insigne hoc & gloriosum Musarum otium usque huc nobis concesseris. Singulis diebus novi redintegratæ Tuæ misericordiæ nos illustrent radii: illustres id propter singulis diebus Tibi gratiæ debentur. Aperi igitur, ô Pater, ô DEUS noster mitissime! aperi os nostrum, ut annunciet facta Tua, ut laudes Tuas ebuccinet! Ne discede à finibus nostris, & à vineâ Tuâ, quam inter nos plantasti; sed memor semper esto miserationum Tuarum, quæ Te ipso minores non sunt, & propterea infinitæ sunt, atque, ut à diebus æternitatis cœperunt: ita in æternum manebunt. Adfere militantem inter hostes virulentissimos Ecclesiam: serva, serva nobis nobile illud depositum, salvificam enthei Tui verbi notitiam: adorna nos & efforma vasa Tuæ misericordiæ: exauge in nobis fidem, accende charitatem & dona sancti Tui Spiritûs, ut in semitis Justitiæ
ambu-

ambulantes Tibi grata piè cogitemus, dicamus, faciamus! Pacem
plusquam auream, tot tantisque votis ac suspiriis & desideratam an-
teà & nunc Germaniæ postliminiò restitutam, hujus & sequentium
temporum decursu factam tectam præsta! Quod eò quidem arden-
tius precamur, quia cernimus ac experimur plerosque Orbis Europæi
Principes commotos, infernalemque Draconem laxatum rebus tam
privatis quam publicis nihil nisi dira ac dura minari. Tuere porrò,
& Spiritu sapientiæ atque roboris indue Serenissimum & Celsissi-
mum Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICUM GVI-
LIELMUM, Ducem Saxoniae, Juliaci, Cliviae, & Montaniae: Comitem
Provincialem Thuringiae, Comitem Limitaneum Misniae: Comitem
Marcae & Ravensburgi, Ravenstein Dynastam: Patriæ Patrem In-
comparabilem, Gymnasiumque Restauratorem Magnificentissimum,
juxta cum Serenissimâ Coniuge, ac utraque Prole longè exoptatis-
simâ, quin omnibus iis, qui sunt de inclutâ Domû Saxonica. Da, Cle-
mentissime Pater, ut non desinant ex aureâ hâc Ruræ Saxonicae stir-
pe aurei prodire ramusculi, qui serie continuâ & præsentis & futuris
seculis sanctissimo Tuo nomini ac numini ritè serviant: gloriæ Tuæ
portas latè pandant: Ecclesiæ Artibusque bonis & Literis elegantiori-
bus optatum hospitium præbeant: isthanc laudis ac gloriæ Tuæ offi-
cinam possideinceps quoque benignè sustentare, sollicitè fovere, cle-
menter protegere unicè annitantur: inclutos denique Ducatus hos-
ce, gratiâ Tuâ quam florentissimos, ad seram posteritatem transmit-
tant! Protege ac fulci illustre hoc Athenæum: salvum ac incolumem
præsta Amplissimum Dni. Scholarcharum Senatam: fave laboribus
tam Docentium quam Discipulorum: Juventutis Studiosæ pectora ad
bonas præclarasque artes imbibendas, nec non mores ingenuos &
probatos induendos inflamma, quò & suis & patriæ olim aliquando
usui esse possint ac ornamento: effice denique, ut, virente ac vigente
Rurâ Saxonica, iterùm nobis atque iterùm isthunc Gymnasii natalem
liceat celebrare, atque ut iste quotannis candidior redeat candidiorque!

Hoc bene fac JESU! JESU annuus? annuis. Ergo

sola Tibi soli gloria, solus honor!

D I X I.

In elegantissimas juxta ac doctissimas

de Natalitio Veterum Ritu

à

Clarissimo Viro,

M. ISRAELE CLAUDERO,

Philologo Eximio,

in Illustri Gymnasio Saxo-Coburgiaco Histor. ac Eloqv.

Prof. Publ. Dignissimo,

solerti studio & vigili labore

elaboratas

Disertationes.

De Natalitiis Veterum selecta, venusta,

Doctaꝗve, vel doctis vix benè nota Viris,

(Sparsa hinc inde libris melioris scilicet ævi

Autorum raræ, quotqvot ubiqve, notæ,)

Ingenti collecta tibi, *Claudere*, labore,

In digesta suos cunctaꝗve ritè locos,

Publico ubi egregio lucis producis in oras,

Secli qui ritûs sint veterisqve, doces;

Adplaudunt doctæ, sibi gratanturqve Camenæ,

(Natales lætæ posse videre suos:)

In- qve- vicem unanimi tibi, *Claudere*, ore precantur

Natales (Coelum det, rogo!) Nestoreos.

Ita animitus pariter voveret & optat Rotenburgi Tubarinorum,

mensè Aprili, annò clo. lcc. LVIII.

vena & crena senilis

Joh-Georgi Styrzell,

propedièm LXVII. um ætatis annum

cum Bono DEO

exituri & exuturi.

C O B U R G I

Typis Ducalibus exscripsit Johannes Conradus Monachus.

H. 118, 20, p. 21.

RITU
NA
DISSE
IN IL
CO
TERTIUM
SOLEM

II.
Y^c
2273

